

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||  
COMPREHENSA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

III. De non baptizatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

tos, non perfectos, peccatores etiam manifestos, infideles occultos, si habeant Sacra menta, professionem fidei, & subiectionem, &c.

## CAP V T III.

## De non baptizatis.

**D**E INFIDELIBVS Nō baptizatis sine dubio Paulus loquitur 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, quibus sunt, indicare? vbi generaliter eos omnes Christi esse dicit, qui non dederunt nomina sua Christo per Baptismum, sed aliquas alias religiones sequuntur.*

De CATECHVMENIS est paulò maior difficultas, quia si fideles, & saluari possunt, si moriantur in eo statu, & tam extra Ecclesiam nemo saluatur, sicut nec extra arcam Noe iuxta illud Concilij Lareranensis cap. I. *Vna est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur.* nihilominus certum est, Catechumenos nō esse in Ecclesia actu & propriè, sed tantùm in potètia, quomodo homo conceptus, sed nondū formatus, & natus, non dicitur homo in potentia. Nam legimus Act. 2. *Qui ergo receperunt sensim baptizati sunt, & apposita sunt in die illa anima circa tria millia.* Item Concilium Florentinum in institutione Armenorū docet, homines fieri membra Christi, ac de corpore Ecclesiæ, cùm baptizantur. idem & Patres docent.

Gregorius NAZIANZENVS oratione in sanctum Laurentium dicit, Catechumenū esse in vestibulo pietatis, nec ad hoc posse vocari fidem, nisi intus ingrediatur per Baptismum. Ioannes CHRYSOSTOMVS hom. 24. in Ioannem dicit, Catechumenum alium esse à fidei, & nihil habere communem cum eo, non ciuitatem, non mensam, &c. TERTIUS LITANVS libro de præscriptionibus, reprehendit in hereticis, quod non distinguant Catechumenos à fidelibus. CIRILLVS lib. 12. in Ioan. cap. 50. docet, Catechumenos esse apud Christianos id, quod erant incircumcisi apud Iudeos, qui propterea nō poterant vesci agno Paschali. AVGVSTINVS tract. 4. in Ioannem, & alibi distinguit Catechumenos à fidelibus, quod etiam alij Patres faciunt. Constant autem Ecclesiam esse fidelium congregationem.

Denique

Denique, Catechumeni non habent ius ad vlla Sacra-  
menta, neque ad alia, quæ sunt communia vniuersæ Eccle-  
siae. Non igitur actu, & propriè sunt Catechumeni de Eccle-  
sia. Quomodo igitur, inquies, saluantur, si sunt extra Eccle-  
siam? Auctor libri de Ecclesia asticis dogmatibus, cap. 74. aper-  
tè responder, Catechumenos non saluari. Sed hoc nimis du-  
rum esse videtur. Certè Ambrosius in oratione de obitu Va-  
lentiniani disertis verbis affirmat, Catechumenos posse sal-  
uari, de quorum numero Valentinianus erat, cùm de hac vi-  
ta migraret.

ALIA igitur quærenda solutio est. Melchior Canus ait, Catechumenos posse saluari, quia et si non sunt de Ecclesia, quæ propriè dicitur Christiana, sunt tamen de Ecclesia, quæ comprehendit omnes fideles ab Abel usque ad mundi consummationem. At non videtur satisfacere, nam post Christi aduentum nulla est vera Ecclesia, nisi illa quæ propriè dicitur Christiana; si ergo Catechumeni de ista nō sunt, de nul-  
la sunt. RESPONDEO igitur, quod dicitur, extra Ecclesiam neminem saluari, intelligi debere de iis, qui neque re ipsa, nec desiderio sunt de Ecclesia; sicut de Baptismo communi-ter loquuntur Theologi. Quoniam autem Catechumeni si non re, saltem voto sunt in Ecclesia, ideo saluari possunt. Neque repugnat similitudo arcæ Noë, extra quam nemo saluabatur, etiam si voto in ea fuisset: nam similitudines nō in omnibus conueniunt. Quocirca 1.Pet.3.Baptismus com-  
paratur arcæ Noë: & tamen constat, sine Baptismo in re, ali-  
quos saluari.

AT, inquies, Augustinus tract. 4. in Ioannem dicit, Cate-  
chumenos esse in Ecclesia; Verum est, sed ibidem separat eos  
à fidelibus. Voluit ergo dicere, esse in Ecclesia non actu, sed

potentia; quod idem ipse explicuit initio libri secundi  
de Symbolo, vbi comparat Catechumenos  
hominibus conceptis, non  
natis.

